



## **Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum**

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.  
Xenivm Academicae Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli  
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacrae & profanae historiae  
à fine captivitatis Babylonicae & Hebraeorum Ducum ac Persicae  
Monarchiae initio usque ad Christum natum

**Gartner, Michael**


**Herbipoli, 1697**

Ortus & Occasus regnorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

bisse iucundus. Nunquam videlicet siti-  
ens biberat. Atque ita tandem fune-  
sto epilogo Persicam Monarchiam *Da-  
rius* tragicus actor, & ultimus Impe-  
rator terminavit an. m. 3724. anno re-  
gni sui 9. Imperij Persarum 208. *Alex-  
andri Magni* 7. Olymp. CXII. an. 3. à  
Roma condita 423. ante Christ. 329.  
cum stetit annis ducentis & octo,  
ex quo *Cyrus* superatâ Babylone im-  
perium traduxit ad Persas.



S. 5. *Ortus & Occasus*

*Regnorum.*

**M**erito posset Græcorum impe-  
rium ab *Alexandro* homine  
Græco partum, & annis aliquot pos-  
sessum, ab eodem in annis ejusdem  
numerandis inchoari, quia tamen Asi-  
ani, quorum consuetudine Judæi, qui  
libros *Machabæorum*, uti & ipsi Asia-  
ni scripserunt, initium regni Græ-  
corum à *Seleuco* primo, qui *Nica-  
nor* dictus est, duxerunt, horum ve-  
stigii & temporum ordini insistendo,  
Alex-



Alexandri Imperium veluti medium  
 Persarum inter & Græcorum, & quod  
 dem huic paragrapho, quo ortus &  
 occasus regnorum calculandus est, in-  
 feritur: quia post mortem Alexandri  
 ex uno illius imperio quatuor præci-  
 pua (alii dividunt in multo plura mi-  
 nora regnorum divisorum capita) uni-  
 us factâ dilaceratione enata sunt. Ex  
 quibus deinde adversis bellorum  
 flammis irrestinguibili confragatio-  
 ne novum Græcorum imperium vici-  
 ti redivivus Phœnix Monarchicus re-  
 tum suum extraxit.

*Synopsis brevis vite Alex-  
 andri Magni & rerum ab eo  
 gestarum.*

**A**LEXANDER PHILIPPI filius ob rerû ge-  
 starum excellentiam MAGNI NOMINE  
 affecutus. Natus est Olymp. CVI. an. L.  
 an. m. 3698. Romæ conditæ 398. ante Chr.  
 355. in cuius nativitatâ die tres simul lectos  
 nuncios pater accepit, primo Illyrius à  
 Parmenione ingenti prælio superatos. Se-  
 cundo in ludis Olympicis se pernicitate  
 equi



equi victorem fuisse declaratum, tertio natum sibi ex Olympiade uxore sua Alexandrum.

Eadem nocte, quâ in lucem Alexander editus est, Dianæ templum Ephesi deflagavit, de quo dictum Timæi extat. *Minimè id mirandum esse, quòd Diana cum in partu Olympiadis adesse voluisset, domo suâ absumpta.*

Cum annorum esset tredecim, & audiret patris sui victorias, querebatur nihil sibi à parente suo relinqui, quo se magnum ducem probaret. Anno ætatis decimo quinto Philippus evocavit Aristotelem ad erudendum Alexandrum, apud quem commoratus est, quamdiu vixit. Philippus porro Rex in ejus gratiam Stagiram patriam restauravit, & populares ejus exules in urbem reduxit.

Anno mundi 3716. Philippus Olympiadem repudiavit tanquam suspectam adulterij, duxitque uxorem Cleopatram ATTALII neptem, in quibus nuptiis dum Attalus optasset successotem Philippo ex Cleopatra, ejus temulentiam & ebrietatem impecto ei in caput scypho Alexander represit: in quem dum stricto ferro irruit Philippus, tallente vestigio, inter lectos prolapsus est, cujus casum Alexander scommate perstrinxit, *negans eum ex Europa in Asiata*



Asiam transire posse, qui ex lecto in lecto sine lapsu transilire non posset; fugit de de Alexander ad Illyrios meliora operis tempora.

Anno mundi 3718, ante Chr. 418, Philippo à Pausania cæso succedit Alexander, qui statim paternæ cædis auctores & consocios sustulit, ut fucum faceret suis subditis, cum in sinu suo cum matre rideret & gauderet. Concilium pauld post coëgit in Peloponneso, ubi se Imperatorem Græcorum adversus Persas eligendum curavit, sibi de more Lacedæmonijs resistentibus.

Anno mundi 3719, dum Alexander in Thracia versatur, Græci Demosthenis auctoritate & epistolâ persuasi, ab eo plique deficere moluntur: cum verò celerius cum exercitu adveniret, Alexander ab Atheniensibus cæterisque placens contra Thebanos, qui pertinacius in sententia persistebant, arma transtulit, & orbem illorum vi expugnatam funditus diruit, cæsis Thebanorum 90000. in servitutem redactis 30000. Liberi autem omnes sub corona vānerunt. In qua strage tantum pepercit Philippi hospitibus, quos puer in ea urbe obses fuerat, necnon posteris Pindari, cujus domum solam intactam reliquit.

Anno mundi 3720. relicta Græcia & Macedonia



Macedoniae administratione Antipatro cum triginta peditum & equitum quinque millibus & navibus quinquaginta per Hellespontum trajecit in Asiam, in littore divisit inter suos omnia, quae habebat in Europa, satis sibi esse Asiam dicitans, cujus possessionem immissa in eam hasta adijt. Pugnatum est primo ad Cranicum amnem victique Persae factum est praemium victoriae Asiae pene omnis Graecorum colonijs frequentata. Mnemone interim Darij duce praestantissimo insulas Graecorum populante, & partim muneribus, partim vi ad Darij partes trahente: ubi magno bono Alexandri, & magno Persarum infortunio Dux ille & colamen Persarum morbo interiit.

Annus mundi 3721. dum Alexander in Cydno fluvio frigidissimo natat contrahit periculose morbum, verum morbus a Philippo medico feliciter discussus est, cujus manu porrectum pharmacum hausit, licet a Parmenione monitus per epistolam, ut ab eo ejusque insidiis sibi caveret. Sic restitutus ad Issum venit, ubi duce Parmenione fortiter contra Darij pro totius Asiae imperio dimicatum est. Caesa peditum Persarum centum millia, & equitum decem millia, cum Macedones vix 300. pedites, & 150. equites desiderassent. Reperta in castris gaza ingens & superbissimus apparatus



ratus, mollior, quàm belligerantes de-  
 Capta mater *Darij* & uxor & filia cum  
 lio sexenni *Ocho*, quos Alexander ad  
 splendide ac castè tractavit, ut de se maj-  
 rem hic, quàm de *Dario* in campo victo-  
 riam retulerit.

Anno 372. Alexander venit in Phœni-  
 ciam & Judæam, ubi *Aradu*, *Biblus* & *Si-  
 don* ex odio Persarum se se dedunt; *Tyrus*  
 autem Insula & maris domina restitit, sed  
 & hanc expugnavit spatio. 7. mensium,  
 Tyriosque omnes interimi iussit, & urbem  
 incendi, quindecim tamen millia à *Solo-  
 niis*, qui Alexandro militaverant, servati-  
 donè devedta sunt; armatorum autem in urbe  
 sex millia cæsa, & duo millia virorum, qui  
 cædi superfuerant crucibus affixa per totum  
 littus pependerunt; statim tamen repara-  
 ta est urbs, cui *Hephestionem* præfecit. Per-  
 rexit inde Hierosolymam, ut vindicaret,  
 ob negata subsidia, cui *Iaddus* Pontifex occu-  
 currit cum agmine sacerdotum linteato;  
 Dei nomen in ejus fronte inscriptum ado-  
 ravit Alexander, asseruitque Deum à se  
 visum in urbe *Dio* Macedonia, in eodem  
 cum Pontifice cultu. Legit quoque in urbe  
 Prophetiæ *Danielis* caput 8. & undecimum,  
 atque uti verè est, de seipso interpretatus  
 est, ideoque Deo vero in templo sacrificavit,  
 & judæis permisit ex suis legibus vi-  
 vere,



vere, iisque concessit, quæ læti victores bene meritis civibus donare solent. Exinde expugnata *Gaza*, *Bari* Eunuchum Præfectum urbis, quod semivir ausus esset Magno Alexandro resistere, talos loro trajectum raptari & discerpi iussit.

Anno mundi 3723. *Ægypto* potitur Alexander absque magno negotio, tum *Mazaca* tum *Memphi* tradita; hinc *Jovis Ammonis* templum adit, ibique *Jovis filius* à Sacerdote salutatur, unde cornua posthac imaginibus suis appingi iussit (quia *Jupiter Ammonius* arietinis cornibus insignis erat) hoc tamen divinitatis ambitu apud peritos non aliud obtinebat, quam ut scorti filius haberetur, quod hæc suspicio in *Olympiadem* matrem merito caderet.

Anno 3724. movit adversus *Euphratem*, pervenitque ad *Arbela* *Assyriæ* urbem, ubi *Darius* stabat cum peditum decies centenis millibus, duplo numerosiore exercitu, quam superiore pugna & cum quadraginta millibus equitum, cum curribus falcatis ducentis & indicis elephantis quindecim. Suaserat *Parmenion*, ut nocte invaderet *Perfas*, sed renuit *Alexander*, eo quod nollet *latrunculorum* more noctis subsidio vincere, *mallo*, ut se fortuna pœniteret, quam *puderet victoria*. Permisit igitur exercitui suo nocturnam quietem, cum econtra

tra



trâ Persæ in armis vigilarent, unde factum est, ut de die recentes & robusti Alexandri milites contra fatigatos pugnarent, & ingentes copias robustâ paucorum manu opprimerent, Dario in Mediam fugiente, & tandem perfidâ suorum manu occumbente. Quâ victoriâ passim innotescente certatim fortissimæ urbes Alexandro ( qui magis victorijs, quàm passibus Orientem peragravit ) se submiserunt.

Anno m. 3725. *Philotas* filius *Parmenionis* cum aliquot socijs in conjurationis suspicionem venit contra Alexandrum, ideoque gravissimis tormentis necatus est, Sed miserabilior filio pater *Parmenion* fuit, nam & ipse quoque per charissimum sibi *Polydamantem* interfici jussus, oblati ad Alexandro litteris. Sunt qui *Philotam* minus faciunt nocentem, scribuntque conjuratum à *Divino* & *Nicomacho* contra Regem fuisse, eorumque consilium ad *Philotam* delatum, sed *Philotâ* tergiversante hæc innotuisse Alexandro, ideoque filium & Patrem sublato, quia hæc taciturnitas regno perniciofa perduellio videbatur.

Anno 3726. Alexander in *Bactrianam* transit, ut assequeretur *Bessum Dary* interfectorem ( *Bessus* idem apud Persas, ac apud Turcas nunc *Bassa* ) qui erectam tiam regiamque vestem induit, & Asiæ se se Regem

Artax



**Ariaxerxis** nomine assumpto promulgabat. Quem tandem post longam fugam, **Oxo** flumine transmissio, proditum à **Spitamene**, deprehendit. Quem ut Parricidam flagris confissum, auribus naribusque mutilatis **Oxatri** fratri **Darij** necandum permisit, à quo minutatim dilaceratus longas & atroces pœnas nunquam satis castigati facinoris luit.

Vicit eodem anno **Scythas** & **Sacos** hæc genus invictos, quæ victoria potissimum **Persicum** firmavit imperium.

Hæc omnia tam gloriosa obscuravit **Cliro** illata nex, hunc enim veterem **Philippi** Patris commilitonē (ebrius ebrium) in urbe **Maracanda** **Sogdianorum**, lanceâ arreptâ interemit, luxitque postea acerbis, quàm deceret **Alexandrum**.

Anno m. 3727. trajecto **Indo** conflixit cum **Poro** acerbissime, quem vivum cepit & humaniter tractavit, & in ita amicitia regno ampliore donavit. Hoc in prælio **Bucephalum** insignem equum suum amisit, quem honorificè sepeliri curavit, & de ejus nomine urbem ædificavit. Sed & **elephas**, cui **Rex Porus** infidebat, memorabilis fuit in hac pugna. Cum **Porus** esset in ardentissima fuga, & telis gravatus labasceret nonnihil de belluæ dorso, tum **Indus** elephantem de more procumbere jussit in genua



nua, qui ut se submitit, cæteri quoque elephantibus omnes, prout erant instituti, terram corpora demiserunt, quæ res moram injecit fugientibus, & Porum & cæteros omnes victoribus tradidit.

Reliquis vitæ annis gentes propè innumeras usque ad Gangem fluvium, & Indicum Oceanum subjugavit, ut tot successibus elatus, humanæ sortis oblitus, Deum se haberi voluerit.

Tandem anno mundi 3730. ante Chr. 323. cum integris duodecim annis & aliquot mensibus regnâsset, Babylone obiit ebrietate, sicut etiam compotator ejus Epistemon intemperantiâ suffocatus est, cui paulo antè iusta persolvit, & pro pompa funebri duodecim millia talentorum impendit.

Mortuus est ergo Alexander Magnus in flore ætatis & regni. *O quàm omnis potentatûs vita brevis est!* mortuus est ille, qui miraculum & portentum naturæ fuit, sic illum Cornelius à Lapide appellat ex iurino Curtio & alijs, enumeratis ejus minime vulgaribus naturæ donis in *caput. 2. Danielis Propheta.* Mortuus, in quo fortitudo mentis & artuum robur conspirârunt, nullis laboribus fractus, nullis periculis deterritus, hic & tantus ebrietate mortuus est eo vitio, quod in abjectissimum quemvis mediastinum potius, quàm in tantum Principem cadere debuit!



Corpus Alexandri à Ptolomæo Lago Mem-  
phim in Ægyptum, & inde paucis post an-  
nis Alexandriam translatum est. Memo-  
rant historiæ, quòd siue aromatis, siue ta-  
be & siue livore ad septimum usque diem  
jacuerit à die mortis; quod inde ortum, quia  
complexionis fuit igneæ, & indolis ferve-  
dæ. Ex hoc igneo corporis temperamen-  
to non tantum animus illi semper similis,  
sed & odoris aliqua acceptabilis fragran-  
tia, quam ex cute, ex ore & toto corpore  
efflabat. Qua de causa etiam in locis cali-  
dis thura & aromata generantur, quòd  
æstus solis ibi ea percoquat, ut ignescant,  
& halitus igneos expirent. O si hæc na-  
tura tam præstans, tam bene temperata pa-  
ri divinâ gratiâ fuisset condecorata, quid  
non præstitisset? & si Alexander solis naturæ  
viribus tanta præstitit, quanta viribus gra-  
tiæ naturam longè superantis Christianos  
facere oportebit?

*Ortus Regnorum ex occa-  
su Alexandri Magni.*

Alexander moriturus nullum re-  
gni successorem nominavit,  
præteritis etiam propriis filiis. Ea-  
rum funestam ducum accendit æmu-  
lacio.

C



lationem, ut totidem pene re-  
 emergerent, quot erant præfecti  
 duces. Summa tamen potentia  
 tio penes PERDICCAM erat, cui ma-  
 riens Alexander (an compos rationis  
 an phrenesi actus ex vini æstu, dubi-  
 tatur) anulum tradidit. Hujus ta-  
 men modestiâ & tergiversatione in  
 regno acceptando factum est, ut rex  
 crearetur ARDÆUS, cui PERDICCAS  
 copiarum dux supremus adjungeretur.  
 Erat ARDÆUS ex PHILIPPO  
 Theffala Philippi scorto genitus, rex  
 nomine & specie tenus factus, cui Phi-  
 lippi nomen attributum, & PERDICCAS  
 curator factus est. Tunc satrapæ  
 omnes, præfecturæque in Principatibus  
 distributæ sunt.

*Ptolomæo filio Lagi Ægyptus \* La-  
 medoni Mitilinao Syria \* Ptolomæo  
 licia. \* Paboni Media \* Eumenei Pa-  
 phlagonia & Cappadocia \* Antiocho  
 gono Pamphilia, Lycia, & Phrygia ma-  
 jor \* Cassandro Caria \* Melicæo Ly-  
 dia \* Leonnato Phrygia minor, Ly-  
 maçh*



*macho* Thracia \* *Antipatro* Macedo-  
nia \* Asiæ Superioris Provinciæ iis,  
qui tum præerant, permiffæ *Selencus*  
sociorum equitibus præfectus est. \*  
*Craterus* ab Alexandro jam missus erat  
in Ciliciam cum 10000. emeritorum,  
cui quidem unâ cum *Antipatro* Græ-  
cia concessa est. Sic duces isti ve-  
luti catuli leonis diviserunt prædam  
Alexandri.

Ex horum ducum mutuis bellis,  
conflictibus, dilacerationibus & cæ-  
dibus quatuor præcipua regna emer-  
serunt, quæ in S. Scripturâ à Daniele  
prophetâ obscuris significationibus  
adumbrantur, REGNUM ÆGYPTI à  
*Ptolomæo Lagi* \* REGNUM MACEDO-  
NIÆ & GRÆCIÆ à *Cassandro* \* RE-  
GNUM ASIÆ ab *Antigono* \* & RE-  
GNUM SYRIACUM à *Selenco* possessum.  
*Antigono* postea devicto ad regna  
tria, summa devenit, ÆGYPTIACUM  
SYRIACUM, MACEDONIUM.

Minora autem regna & veluti par-  
ticulæ Monarchiæ Alexandri plura  
nu-



numerantur, nimirum REGNUM CRY-  
 NIACUM, \* REGNUM BYTHINIE, quod  
*Zipates* Thrax occupavit. \* REGNUM  
 PONTICUM, quod fugiens ab Antiocho  
*Mitridates* restauravit \* REGNUM  
 MEDICUM Media minoris,  
 quam invasit *Atropatus*, & occupa-  
 tam feliciter transmisit ad posterum \*  
 REGNUM PERGAMENUM a *Pulchro*  
 permissum *Seleuco*, eoque mortuo  
*Attalo* primo rege possessum \* RE-  
 GNUM PARTHURUM, qui deficiente  
*Seleuco* novum regnum liberum sibi  
 constituerunt \* REGNUM ASSYRI-  
 RUM, quod sibi condiderunt *Seleucus*,  
 quos *Antiochi Epiphanis* saxita ad-  
 ma pro patria religione summo con-  
 git, & auctorem habuit *Mithridatem*  
 \* REGNUM COMMAGENESE,  
 quo legitur in bellis Pompeii \* RE-  
 GNUM SICULUM, quod *Agathocles*  
*Syracusanus* sibi usurpare cepit. \* RE-  
 GNUM THRACIÆ, in quo *Lysimachus*  
 regium sibi nomen & insignium im-  
 pfit \* REGNUM PARTHICUM ab *Aspacuro*



primo rege inchoatum \* REGNUM  
 BACTRIANORUM à *Theodoto I.* mille  
 Urbium Bactrianorum præfecto, ut  
 ait Justinus, postquam is à *Seleuco Gal-*  
*lusico* defecit, erectum. \* REGNUM  
 ARMENIACUM Armeniæ minoris à  
*Zadriadere*, qui inter duces Antiochi  
 magni enituit & defecit, primò occu-  
 patum. \* REGNUM ARMENIÆ majo-  
 ris, quod usurpare incepit *Artaxias*  
 primus sub Antiocho Magno præfe-  
 ctus, quod regnum postmodum ce-  
 lebre reddidit *Tigranes* dictus à *Pli-*  
*nio MAGNUS.*

Omnia hæc regna vel portiones  
 regnorum ex cineribus *Alexandri*  
*Magni* prodierunt. Quorum regum  
 omnium catalogum subijcere non pa-  
 titur libelli angustia.

Pro notitia chronologicâ singula-  
 riter observandum hic est: Quanquam  
*Alexander* è vivis, ut dictum, excessit  
 an. m. 3730. & ab ejus morte mox  
 divisum fuerit in multos successores  
 imperium, quia tamen imperium  
 quod



(quod ab ipso partum ac fundatum  
& ex usu chronologorum atque ipsi  
etiam scripturæ in Machabæorum  
bris, Græcorum appellatur) nondum  
inchoatum est, donec res Asiæ in Se-  
lenci potestatem cesserunt, & familia  
Alexandri in Aridæo rege Macedo-  
niæ ejus fratre, & matre Olympiade  
quoquo modo adhuc stabat, neque  
Alexandri duces apertè se se reges di-  
cebant, reliquum tempus ad Seleucum  
primum ab Alexandro imperij Græci  
fundatore appellari solet.

*Reges Ptolomai, qui regnã-  
runt in Ægypto ab anno mundi 3731*

*Olymp. CXIV. a. l. Urb. Cond.*

*429. ante Chr. 323.*

Quia in historiis tum sacrâ, tum  
profanâ frequentissima mentio  
est Ptolomaeorum, qui in Ægypto im-  
perârunt, eorum seriem præ cæteris  
pertexere libuit.

I. PTOLOMÆUS cognomen  
to MAGNUS filius LAGI Mace-  
doni



donis receptus ab Alexandro Magno inter custodes corporis ob præstitam patri Philippo fidem, belli pacisque artibus clarus, prudentissimus & fortissimus. Comis fuit & charus popularibus, liberalis in omnes, dicere solitus, *nobilius esse regi dicere quam ditescere.* Apellem pictorem conjurationis falso apud se per *Antiphilum* accusatum, cognitâ calumniâ, donavit talentis centum, & calumniatorem *Antiphilum* ei in servum tradidit. Mortuus anno mun. 3767. ante Chr. 386. Narratur à plerisque historicis, quod *Lagus* Macedo acceperit à Philippo patre ALEXANDRI MAGNI uxorem *Arfinoem* jam à rege uterum ferentem, & genitum inde Ptolomæum æneo clypeo imposuerit. Neque succensuit Ptolomæus cuiquam, si scorti filius audiret, dicere solitus, *si regium non est ferre, cum dicto tangitur, nec illud regium sit, dicto quenquam tangere.*

II. PTOLOMÆUS PHILADELPHUS dictus, filius LAGIDÆ. Uno anno



anno priusquam pater moreretur, societatem regni adscitus. Filius fuit **Berenices**, quam **Ptolomæus Lapsus** susceptis jam ex **Eurydice** liberis deperit. Dicitur autem **PHILADELPHUS**, qui fratrem suum uterinum insidias sibi parientem, & præterea alium adhuc fratrem anonymum, **Cyprus ad defectionem sollicitantem interemit**, Scæque fratricidii reus melior postea fuit, quàm regni candidatus.

Inter præclarè gesta memorabilissima illud reliquit posteritati, quòd anno 3770 LXXII viros peritissimos lingue Hebraicæ & Græcæ convocavit, & magnis sumptibus, ut scripturæ sacre libros hebraicè scriptos accuratè in Græcæ converterent, de qua versione §. 4. memorabilibus sexta ætatis.

Fuit & ipse eruditissimus & eruditissimus amator insignis, convocatis ex orbe doctissimis quibusque scholas Alexandriæ aperuit, ibidemque condidit bibliothecam nobilissimam, in qua volumina 70000 numeravit. Præceptore in juventute illius est **Stratons** Philosopho, cui talenta hoc est, Coronatorum 48000, donavit. Urbes



Urbes numeravit in ditione sua 33339. unde Philo refert tantæ illum magnificentiæ monumenta erexisse, ut proverbialiter dictum fuerit de sumptuosis operibus *Philadelphæa opera.*

Cum podagricis doloribus vexaretur, multos sumptus in venatores erogavit, quorum studio multa de animantibus exploravit, quæ ignota erant, & apta hominum valetudini & usibus. Judæorum sacra & legem liberalitate multum promovit. Mortuus est anno regni 40. an. m. 3906. ante Chr. 247.

III. PTOLOMÆUS EVERGETES filius PHILADELPHI ex conjugè *Arsinoë.* Successit patri anno m. 3803 ante Chr. 245. Variis bellis implicitus fuit, & secundâ plerumque fortunâ usus. Domitis regibus benignum sese exhibuit, iratum autem se præbuit *Onia* Judæorum Pontifici ob non solutum tributum 20. talentorum, quibus tamen iterum placatus est. Post occupatam Syriam adiit Hierosolyman, & more Judaico sacrificium peregit. Dicitur autem EVERGETES

C 5 ob



ob restitutos patrios Deos. Victo-  
nim *Selenco Callinico*, Syriam crudeli-  
ter diripuit. 40000. talenta argenti  
& vasa pretiosa inde tulit, nec non si-  
mulachra Deorum 2500. quæ Cam-  
byses captâ Ægypto in Perlas porta-  
verat. Finem vivendi fecit anno regni  
26. an. m. 3833. ante Chr. 228.

IV. PTOLOMÆUS PHILOPA-  
TOR filius EVERGETÆ ex *Canora*  
conjugē natus. Hic *Maga*, cæci-  
rūmq; fratrum cæde, metu domesticis  
motus solutus, totus voluptatibus  
pibus immerfus fuit, permiffa regi-  
curâ *Sofibio* & *Agathocli*, quorum opo-  
râ bella gessit, ipse autem voluptate  
bus indulfit, quapropter viribus ex-  
haustus florenti ætate decessit, relicta  
regni & filii tutelâ *Agathocli*. Dicitur  
à *Zonara* *Eupator*, & scribit *Iustini*  
nus ipsum ambas matres & *Cleopatra*  
& *Berenicem*, ex qua *Maga* genitus  
erat, interfecisse, & inde hoc cogno-  
mentum accepisse. Ab ejus *Justini*  
divinitus servatos esse Judæos scribit  
Cædre



Cedrenus. Mortuus an. m. 3850. ante Chr. 205.

V. PTOLOMÆUS EPIPHANES filius PHILOPATORIS ex *Arsinoe*, dictus *Epiphanes*, quia fuit derelictus à patre decedente quinquennis sub tutela *Agathoclis*. Ab *Antiocho* oppugnatus, strenuè à Romanis defensus & fide optimâ conservatus est, eidemq; *Antiocho* per Cleopatraz filiaz connubiū conciliatus: factus sui juris adstitit Romanis contra *Antiochum*. Vocatur à Catone rex optimus & beneficentissimus. Mortuus est anno mundi 3874. ante Chr. 179.

VI. PTOLOMÆUS, dictus PHILOMATOR, filius *Epiphanis* è *Cleopatra* genitus, frater *Ptolomai Physconis* quem adversarium habuit & invasorem ditionum suarum conjuratum cum *Antiocho*, à quibus tamen Romanorum jussis & armis defensus & restitutus. Habuit in summo honore *ONIAM Onia Pontificis filium*, & in





in præfectura Heliopolitana tem  
 Hierosolymitani similis extruendi p  
 testatem fecit. Generum suum Alex  
 andrum Syriæ regem variis fraudi  
 bus circumvenit, specie amicitie in  
 civitates illius ingressus, in quas cum  
 amicè reciperetur prætextu auxilii  
 contra Demetrium ferendi, mutatis  
 præfidiis in eisdem se communit, &  
 duplici coronâ, Ægypti simul & Sy  
 riæ sese insignivit: Demetrio in læpe  
 filiam suam, quam Alexandro conju  
 gem dederat, tradidit alteris nuptiis  
 copulandam, & tandem uxore & regno  
 spoliatum, ipsâ quoque vitâ privatâ  
 non alia de causa, quàm stimulo am  
 bitionis, ut scriptura testatur. Sed  
 & Philometor perfidiæ & ambitionis  
 scelus mox luit: namque congressu  
 cum Alexandri acie, eundem quidem  
 fugat, sed & ipse equo excussus le  
 thaliter vulneratur in capite, in cuius  
 curatione, dum ossa medici terrena  
 re contendunt, expirat. Alexander  
 autem, qui fugerat in Arabiam, ibi  
 dem



usq; ad an. mundi 3743.

61

dem à *Zebdielo* Dynasta interfectus est, ejusque caput *Ptolomæo* missum, quod tamen Deo ultionem accelerante vix accepit: nam tertio die post inflictum vulnus obiit. De *Zebdielo* dubitatur, an sponte *Philometori* gratificari voluerit Alexandrum interficiendo, an verò ad hoc conductus sicarius fuerit. Hæc contingere anno 3908, ante Chr. 145.

VII. PTOLOMÆUS PHYSCON à *Josepho*, *Strabone* & *Clemente Alexandrino* vir ventricosus à belluina ventris obesi magnitudine, ab *Epiphanio* dictus *Philologus*, ab *Eusebio* dictus *Evergetes*, qualem se ipse appellari voluit, ab Alexandrinis autem dictus *Cacergetes* sive *Maleficus*. *Strabo* hunc *Ptolomæum* septimum inter deterrimos & nequissimos numerat. Regnare cœpit an. m. 3909, ante Christ. 144. *Demetrii Nicanoris*, I. Imper. Græc. 167. regnavit annis 28. quos summâ crudelitate & tyrannide explevit usque ad annum scilicet 3936. ante



ante Christ. 117. quo vitam monstra-  
hoc finivit.

De ejus ingressu in regnum ita Jus-  
tinus: *In Ægypto mortuo Rege Ptole-  
mao, ei, qui Cyrenis regnabat, Ptolemao  
per legatos regnum & uxor Cleopatra  
regina soror ipsius defertur, ut de illa  
reginâ simul rex esset & tutor pupillo-  
rum. Letus igitur hoc solo Ptolemao, quod  
sine certamine fraternum regnum in-  
pisset, in quod subornari à matre Cleo-  
patra & favore principum fratris hunc  
cognoverat. Caterum infestus omnibus,  
statim ubi Alexandriam ingressus est, pu-  
eros pueri trucidari jussit. Ipsum quoque  
puerum die nuptiarum, quibus mater  
ipsum in matrimonium recipere, in-  
ter apparatus epularum & solennia reli-  
gionum in complexu matris interfecit, atque  
ita thorum sororis eade filij ejus crucem  
ascendit, post quod non minor in populo  
res fuit, qui eum in regnum vocaverat.*  
hæc Justinus,

Alij insuper meminerunt, quod forma  
suam ac conjugem, postquam filio oba-  
verat,

verat,  
lerit,  
virgin  
scitâ.  
quens  
armi  
in eo  
necav  
qui lit  
urdes  
Pedag  
tatem  
mios  
nis ex  
tos a  
C  
noru  
lapsi  
cita  
met  
exul  
max  
hunc  
dein  
studi  
fecta  
opti  
jussit  
stacu  
des c



verat, tandem etiam conjugali thoro expulerit, filiã ejus Cleopatrá minore, quam virginem stuprãrat, in matrimonium adscitã. Prãter multiplices alias cãdes frequens juventute gymnasium Alexandriã armis & igne circumdedit, omnesq; qui in eo erant partim ferro, partim flammã necavit, cumque plurimis interfectis reliqui litterati viri diffugissent, ferme omnes urbes viris Grammaticis, Musicis, Medicis, Pedagogis completæ sunt, qui ob paupertatem docentes passim multos viros eximios effecerunt. Et tametsi ipse eruditionis expers non esset, multum tamen eruditos afflixit.

Cum aversos ob tyrannidem Alexandrinorum animos suspicaretur, plerisque dilapsis edicto peregrinos Alexandriam sollicitavit, quibus mox æque factus invisus, metu insidiarum cum conjugate tacitus exulatum abiit, ac veritus, ne filius natus maximus, quem habebat, rex crearetur, hunc Cyrenis accersitum jugulavit. Idem deinde ausus in alterum *Momphiten*, cum studio erga sororem statuas suas ab eo dejectas esse arbitraretur, liberalis formæ, optimæque indolis & spei puerum occidit in Cypro, crudelissimi facinoris spectaculo oculos ipse suos depascens, ac pedes corpore detruncatos, caput, manusque

ia



in cista chlamyde opertâ pro munere a  
litio matri transmisit. Hujus Ptolomæ  
mentio lib. 1. Machab. c. 15.

VIII. PTOLOMÆUS LATHU-  
RUS, alio nomine LATHYRUS, fi-  
lius *Ptolomæi Physconis* ex *Cleopatra* mi-  
nore, sive filia majoris *Cleopatra*, quam  
*Physcon* repudiavit: fratrem habuit  
*Ptolomæum Alexandrum* & sorores *Se-  
leucen*, *Cleopatram* & *Gryphinam*. Re-  
gnare cœpit post obitum patris an-  
n. 3938. ante Chr. 115. matris suæ  
vitiâ & fraudulentâ regno eiecit,  
& statuarum demolitione gravi con-  
tumeliâ affectus in Cyprum exilium  
discessit, sed inde à *Ptolemaidæ* colloca-  
evocatus contra *Alexandrum* *Jarum*  
regem Judæorum, victum ingenti  
clade sternit, cæsis ex ejus exercitu  
30000. & Judæam igni ferroque va-  
stat; deinde Ægypto frustra tentatâ  
quòd mater terrâ marique bellum  
contra ipsum instrueret, in Cyprum  
remeavit, ac demum post obitum ma-  
tris & fugam *Alexandri* fratris sui  
(quem



(quem mater in regnum intruserat, quamquam junior esset Lathuro) regnum recipit, & Thebanorum defectionem ita deinceps ultus est, ut nullum pristinae fortunae vestigium retinuerint. Uxorem duxit sororem suam Cleopatram, iterumque illam dimissa duxit sororem alteram *Seleucen* repudiatam Cleopatram, quae cum in Syria *Cyziceno* nupsisset, eique exercitum Cyprium quasi dotalem adduxisset, viribus Ptolomæo parem effecit *Cyzicenum*, unde ingens postea praelium exarsit, quo tamen superior factus Ptolomæus in fugam *Cyzicenum* convertit, & urbem Antiochenam expugnavit. Regnavit annis 36. usque ad annum mundi 3973. ante Chr. 80.

Aliqui hic PTOLOMÆUM ALEXANDRUM *Lathuri* fratrem ponunt ordine nonum, sed videtur Lathurus potius nomine regis ponendus, quam Alexander, qui nec regnum possederat iusto titulo (Lathuro in Cypro ad tempus exulante) neque retinuit: cum enim mater etiã hujus filij sui, quæ aliàs incredibili amore prosequabatur, insidijs sese  
appe-



appeti tandem suspicaretur, effecit, ut  
puli concursu in *Con* insulam exulatur  
eijceretur, ubi vitam in fortuna priva  
finivit. Tanta hujus Alexandri obesitas fuit,  
ut non nisi duobus suffultus incedere posset.

IX. PTOLOMÆUS ALEXAN-  
DER dictus *Ptolomæus Lathuri* ex fratre  
nepos, quem an. m. 3973. ante Chr.  
80. *Sylla* sperans multum se auer colle-  
cturum ex regno opulentissimo, Alex-  
andrinis obrusit. Sed cum *Syllæ*  
auctoritate & viribus fretus insolenti-  
us imperaret, decimo nono die regni  
minis è regia à seditiosis protractus  
atque injurijs & ignominijs appetitus  
& necatus est.

X. PTOLOMÆUS AULETES,  
quem *Lathurus* suscepit ex *Selenæ*. *Au-*  
*letes* regnum retinuit post Alexan-  
drum, sic dictus, quod nullâ dignita-  
tis habitâ ratione choraulam exercere  
non erubesceret. Eundem *Eufebus*  
& alij vocant *Dionysium*, sed usitatum  
nomen illi *Auletes* tribuitur, quod  
*Cicero* eum appellat, ad differentiam  
*Ptolomæi Dionysij*, qui ejus filius & Cleo-  
patræ



patræ frater fuit, in qua stirps Lagi-  
 darum defecit. Regnavit annos 30.  
 usque ad annum m. 4003. ante Chr.  
 50. liberos genuit, *Ptolomaum Diony-  
 sum, Ptolomaum, Berenicen, Cleopatram*  
 & *Arsinoen.*

Vitæ fuit flagitiosissimæ, & ob profusis-  
 simas largitiones suas, quas fecit, ut Roma-  
 norum societatem obtineret, populum  
 gravissimis exactionibus ad ærarij supple-  
 ndas angustias expilavit, ideoque in odio  
 habitus, & Cyprum à Romanis repetere  
 jussus, cum tumultuantes compescere non  
 posset, Romam profugit, ibique de faci-  
 enda restitutione Cypri ob inexplebilem  
 Romanorum procerum avaritiam omnia  
 frustra molitus Ephesum concessit, ubi à  
 Pompejo litteras ad Gabinium impetrat,  
 easque opem rogaturus in Syriam secum  
 deportat: & cum decem millibus talento-  
 rum hoc est 6000000. Coronatorum Ga-  
 binium expugnasset, atq; ad expeditionem  
 pro se suscipiendam excivisset, regnum re-  
 cuperat, quod exilio efferatus, & ceu ferro  
 partum asperius administrat. Præter alias  
 cædes, filiam *Berenicen*, quæ se reginam  
 post fugam illius gesserat, crudeliter pere-  
 mit, atque ob factos immensos sumptus ad  
 novas rapinas conversus, sine causa, & sine  
 dis-



discrimine, tantum pecuniæ desiderio, cupletissimum quemque bonis & vitâ spoliavit. Annotavit ex Cicerone *Strabo* regnante *Aulere* Ægyptiaci regni reditus fuisse 12500. talentorum, id est, coronatorum ad nostram monetam 750000. refert *Plutarchus M. Crassum* voluisse ab eo Ægyptum Romanis stipendiariam facere.

XI. PTOLOMÆUS cognomento DIONYSIUS regnare cepit anno m. 4004. ante Chr. 49. unâ cum *Cleopatra* famosa illa regum regina (se sese appellabat) sic enim pater eius moriens testamento iusserat, ut frater regnaret cum sorore. In regimine annos transegit quatuor, in Nilo submersus an. m. 4007. ante Chr. 46.

A Senatu Romano tutorem acceperunt *Dionysius* & *Cleopatra* *Pompejum*, cumque *Dionysius* vix dum natus annos 13. per pro-pinquos, & familiares *Cleopatram* expulisset, magnis utrimque exercitibus dimicatum est, *Cleopatram* demum cedentem *Pompejum* quoque ex pugna Pharfatica se profugum, auctoribus *Theodoro* præceptore, & *Phosino* eunucho, per *Achillam* occidit, & caput unâ cum annulo *Cæsari* intulit, cau-



tanquam pignus singularis amicitiae; à quo gratiam, quam speraverat, non assecutus, cum sorore Cleopatra pacificari iussus, gravissimos tumultus concitavit, quos tamen Cæsaris dexteritas sedavit; cumque mox scelere *Photini* reditum esset ad arma, prætextu novæ pacificationis à Cæsare instituendæ, reposcitur ad Cæsarem, iterumque dimissus humaniter, benefactori gratiam eam retulit, ut & sediciosæ multitudinæ ducem se præbuerit, & bellum acrius urserit, cumque bello cum Cæsare contendere auderet, ab eo magnâ strage devictus, castris exutus, in fugam coniectus perijt in Nilo, nave, quam in fuga conscenderat, fugientium multitudine submersâ.

*Cleopatra* extincto fratre *Dionysio*, inito cum altero fratre *Ptolomæo*, æque incestuoso secundum pessimam consuetudinem *Ægyptiorum* connubio, & tori & regni sociâ iterum facta, & simul ardentiore Cæsaris amore accensa est, ideoque post debellatum *Scipionem* in Africa, Cæsarem inivit Romæ, filioque sibi nato ab eo nomen imponit, *Ptolomæi Cæsarionis*; deinde *Dolabella* auxilia subministrat contra *Trebonium*, & apud *Antonium* in suspitionem vocata, quod *Cassium* pecuniis juvisset, hunc non solum placat, sed & insanis suis amoribus planè dementat.

A quo




A quo tempore variis grassata sociis, & fratrem maritum & Arseni sororemque per Antonium interiturat, ab eoque REGINA Regum in Phœnice, Cœlæsyria, Cyro aliisque Provinciis salutata, tandem etiam ipsum Antonium, ut *Octavia* repudiata se in thorum conjugalem receperet, impellit; ideo hostis iudicata & declarata ab *Augusto* Cesare, & post infelicem ad *Actium* pugnam *Alexandriam* obsessa & capta à *C. Procure* (est hic, quem celebrat *Horatius* in *carminibus* od. 2.) cum ad triumphum sese asservari didicisset, seu alio modo morsu, seu veneno dilibatorum mortem sibi conciliat, cum vixisset annos 39. & regnasset annis 20. usque ad an. m. 4024. ante Chr. 29. mense Augusto postquam ex *Antonio* genuisset *Alexandrum*, & *Cleopatram* gemellos, quos *Antonius Solis* & *Luna* cognominibus appellari voluit, & *Ptolomeum*. Sicque *Alexandria*, & cum ea tota *Ægyptus* Romanorum effecta est, & *Lagidarum* fami-





familia extincta, postquam 295. annis in Ægypto regnasset. Plura de interitu Antonij & Cleopatraz. de bellicis expeditionibus ætatis 6. ubi de pugna Actiaca mentio fiet.

Liberi à Cleopatra ex Antonio geniti à Cæsare in triumpho ducti sunt, ab eoque viâ donati; Ptolomæus autem Cæsaris permissu à matre Casarion cognominatus, ob eisdem contra Trebonium studium, rex Ægypti salutatus à Triumviris, & postea rex regum, quod Casarioni plurimum nocuit, etenim Cæsar persuasus à Philospho ARIO, non bonum esse Casarionem vivere, si Casar vivit, Cæsaris jussu jugulatus est.



**Magistratus Romanorum**

post regifugium Tarquinij Superbiusque ad an. m. 3743. ante Christum 310.

Postquam à senatu populoque Romano decreto sancitum atque juramento confirmatum est, abdicare in perpetuum regiam potestatem propter



ter Tarquini superbi insolentiam exercitam, primi consules creati sunt *L. Junius Brutus* & *L. Tarquinius Collatinus* ambo patricii, & ab hoc tempore universa res publica esse cepit in potestate patriciorum Anno m. 357. Urbis cond. 508. ante Chr. 244.

Tarquino lapidem omnem moriente ut amissa recuperaret, civitatis intus & foris molitionibus periculosis conjurationis pro reditu Tarquino complices quoque detentis sunt duo filij *Bruti*, & duo filij consulis *Collatini* nepotes quos cum innotuisset consulibus, *Brutus* filios suos ad tribunal suum à detentibus adduci jussos in populi conspectu, ætatem commiserantis, prostratos affectos & virgis fœdè laceratos securi percuti jussit: tum *Aquilius* collega nepotes ad eandem penam detulit, pro quibus cum *Brutus* avunculus, ille contra convocato populo *Collatinum* collegam ut tyrannorum accusavit, & eum



uti cognatione, sic & voluntate con-  
 junctum esse arguit, tantumque effe-  
 cit, ut abrogato magistratu abire ex  
 urbe juberetur, qui *Lavinium* profe-  
 ctus, ibi consenuit & mortuus est.  
*Brutus* autem ne videretur regni cupi-  
 ditate collegam expulisse, assumpsit  
 secum in consulatum *P. Valerium*, cu-  
 jus consensu supplicium sumpsit de  
 omnibus conjuratis pro restitutione  
 Tarquiniorum, deinde præcipuos ex  
 plebe in patriciorum ordinem adle-  
 gerunt, & ex his senatum ad nume-  
 rum trecentorum suppleverunt; cæ-  
 dibus enim & exactionibus & bellis  
 à temporibus *Tarquinij Prisci* defece-  
 rat magistratus, ut 164. ex legitimo  
 numero deessent.

*Tarquinio superbo* occultis artibus nihil  
 efficiente, apertam in vim machinationes  
 eruperunt utrimque collectis & in aciem  
 ductis magnis militum copiis. Cumque  
*Arms Tarquinius* convitiis Brutum lace-  
 seret, mutuo provocati, uterque extra or-  
 dines procurrunt, tantoque impetu equos  
 adverso committunt, ut sarissis per cly-  
 peos

D



peos & thoraces adactis, certo utri  
 ictu sit confossus, cuspide alter in col  
 in ilia alter impacta. Ducibus ita profu  
 tis reliquæ copiarum magno clamore conc  
 rere, paribusque damnis usque ad solis  
 casum ducum jacturam vindicaverunt, de  
**Valerius** hostilia castra noctis beneficio in  
 vasit & cepit. Postridie spoliatis hostium  
 cadaveribus, suisque humanis, in urbem  
 rediit senatu honoris causa obviam pro  
 grediente, postero die palatia in  
 collegæ corpus in honorificam locum pu  
 blicè in foro populo propositum, curia  
 soque tribunali funebri oratione pro  
 tavit.

Cum porrò **Valerius** collegam suum  
 scere cunctaretur, & nihilominus in  
 nentiore urbis loco ædificaret, in  
 nem venit affectati regni, qua de causa  
 nitus ab amicis, indictis comitiis  
**Valerium** consulem legit, quo postquam  
 defuncto **M. Horatium**, quintum  
 no consulem assumpsit, & deum locum  
 summo tumulo in imum clivum tra  
 lit, multisque rebus è populi libertati  
 stitutis **Poplicola** nomen adeptus est.

Tenuit deinceps consuetudo  
 sules annuatim eligendi, penitus  
 esset potestas summa usque ad  
 tum à





3604. ante Chr. 449. conditæ urbis  
303 Olymp. LXXXII. an. 3. consu-  
latum gerentibus *Appio Claudio Cras-  
sino Regillensi & Genucio Augurino* ex  
his *Appius Claudius* primus fuit, qui  
censuit esse eligendos *Decemviros* ex  
senatûs primoribus, quorum annum  
esset imperium & potestas consularis;  
quod consilium approbantibus Tri-  
bunis & populo, uterque consul *App.  
Claudius & Genucius* progressi in me-  
dium consularem magistratum eju-  
rârunt: quos propterea vehementer  
populus laudavit, eorumque ratio-  
nem in creandis *Decemviris* præ om-  
nibus habuit: namque hi ipsi primi  
creati sunt, tum *P. Sextius*, & his tri-  
bus adjuncti legati, qui leges ex Græ-  
cia attulerant *Sp. Posthumius, Ser. Sul-  
pitiu & A. Manlius*, denique *F. Rom-  
ulius* cum aliis tribus Patriciis.

Ex his constitutis *Decemviris* penes unum  
fasces erant per 10. dies, & reliqua consu-  
laris dignitatis insignia: reliqui ad minu-  
endam potestatis invidiam habitu non mul-  
tum à privatis differebant, sicque mutatis  
D 2 vici-



vicibus administrabant singul rempub  
 sam. Penes quem autem fasces erant, i  
 convocabat senatum, decreta confirmaba  
 & pro imperio cætera agebat. Hanc for  
 mam magistratûs quanto applausu populus  
 approbavit, tantâ mox displicentiâ repu  
 diavit. Cùm enim factâ jam tertiâ crea  
 tione *Decemvirum* clandestino inter ipsos  
 iurejurando fœdus ictum esset, ne quis ex  
 collegio alteri adversaretur, sed quod uni  
 placuisset, omnibus probaretur, neque co  
 mitia haberent, sed perpetuò retinerent  
 imperium singulique pari honore ac pot  
 estate essent, senatûs consulto ac populi re  
 scitis raro & non nisi necessariò uterentur,  
 primo die honoris, singuli regio cultum  
 fascibus ac securibus processerunt, magno  
 cum totius populi terrore, dicentis, *se pro  
 uno rege decem habituros*. Neque eorum ad  
 ministratio à tyrannide aberat, hanc præ  
 aliis exercente *Appio*, qui aliis *Decem  
 viris* adversus *Sabinos* cum exercitu pro  
 fectis, *Siccium* Tribunum plebis, palam mi  
 litaribus illustrem interfici curavit.

Videns quoque *Virgineam* quandam  
 nomine, *Auli Lucij Virginei* plebei ho  
 minis optimi & honestissimi filiam, in ætate  
 decore conspicuam, eâ secundum suam lib  
 dinem abuti proposuit, ad quam cum atque  
 blanditiis, nec donis, nec precibus pertin  
 gere





gere posset, ad crudelem vim animum con-  
vertit: ideoq; cuidam clienti suo negotium  
imposuit, ut Virgineam transeuntem secus  
forum observaret, & eam tanquam manci-  
pium suum fugientem arriperet, & confe-  
ctum, si quis obstaret, coram Appio in cau-  
sam traheret: quod & factum: puellæ enim  
ad forum venienti manus injecit calumnia-  
tor & mendax plagiarus, tanquam fugiti-  
vo mancipio: puella verò pavida, claman-  
do tunc quidem liberata est, altero autem  
die ad Appij tribunal à plagiario in jus vo-  
cata, tanquam serva fugisset à domino.  
Quod inaudiens puellæ pater, & advertens  
ab Appio sibi & filix vim inferri, ab eodem  
obtinuit, ut sibi in conspectu nutricis loqui  
fas esset, ut fortè erroris veritate comper-  
tâ mancipium cum minore noxa sui conce-  
deret, cumque aliquantulum (in conspectu  
tamen curiæ) ab Appio pater recessisset,  
sumpto cultro, inquit, *dilectissima filia, quâ  
possum viâ ego libertatem suam vindico*, &  
statim spectantibus omnibus in filix pectus  
tam altè cultrum immerisit, ut continuo ex-  
piraverit, ac sic libidinosi Appij per inno-  
centis cædem spes exinanita est, populus  
autem universus in turorem actus: pater  
quoque Virgineæ mox ad libertatem non  
mito conatu, inde plebem concitat, & in-  
vocat milites ad defectionem provocat, quos  
sacra-

D 3



sacramento solutos aiebat, eò quòd mag-  
stratus transacto legitimo tempore, legi-  
mus non esset. Ergo miles in urbem rever-  
tit, & *Aventinum* occupat, totaque castra  
à *Decemviris* deficiunt, inde *M. Duillio* hor-  
tatore (erat hic tum temporis tribunus,) transeunt in *Montem Sacrum*, ibique castra locant: victique *Decemviri* se imposteros in patrum potestate futuros affirmant, vitam orant, simulque monent, ne suo sanguine populum assuefaciant ad Patrum supplicia. *Valerius* & *Horatius* à senatu missi ad plebem turiosam revocandam & mitigandam initis conditionibus, quas plebs postulabat, tumultus componunt.

Compositis motibus pro consiliis  
bus creandis & tribunis conventum  
est, factique consules *Valerius* dictus  
*Publicola* positus & *M. Horatius* dictus  
*barbatus*. Posthæc contra *Duimvires*  
iudicio agitur. *Appius* à *Virgineo* ac-  
cusatus perit in carcere, vel tribunum  
rum jussu, vel laqueo sibi ultro accen-  
sitâ morte. *Oppius* quoque necatur  
carcere: reliqui sponte exulant, sed  
eorum bona publicantur, & à quatuor-  
tribus in ærarium referuntur: *Virgineo*  
calum



calumniator in exilium abigitur, cæ-  
teris administris *Decemvirorum* venia  
impertitur.

Deinceps annuatim consules crea-  
ti sunt. Sed duravit iterum hic magi-  
stratus consularis tantum ad quinque  
annos, quando ad tribunos plebis  
militares creandos, qui consulari po-  
testate præessent, rerum novandarum  
cupidus polyformis gentis Romanæ  
Protheus animos convertit. Creati  
igitur sunt ex Patriciis Tribuni mili-  
tares *Sempronius, Atratinus, Atilius lon-*  
*gus & C. Lalius Siculus* an. m. 3611. an-  
te Chr. 441. Olymp. XXIV. an. 2.  
urbis cond. 310. sed perbrevis etiam  
hic magistratus fuit; tertio enim men-  
se, augurum decreto, perinde ac vitio  
creati essent, honori abdicaverunt.  
Unde intelligi potest, quantum augu-  
rum vanissimæ disciplinæ tribuerint  
Romani, cum primarij magistratus  
tantâ contentione expetiti ad augu-  
rum arbitria, officio decederent. Hic

D 4

ad



ad priorem formam consules iterum  
 creati è Patriciis *L. Papirius Magonianus*, & *L. Sempronius Aratinus*, alii  
 que, qui per aliquot annos cum consulari potestate successerunt: donec iterum fluctuare cœpit hoc inquietum,  
 & continuâ varietate alternans mare populi Romani, mox consules, mox tribunos militares, qui consulari quoque dignitate eminent, postulare ac extorquentis: habueruntque inter se paucis intervenientibus, qui consules tantum essent, plerisque ordine Patriciorum tribunos militares consulari & tribunitiâ potestate conjunctâ. Anno m. 365. ante Cl. 398. hæc summa reipublice administrandæ potestas tribunitiâ & consulari, relicto Patriciorum ordine ad plebem quoque descendit. *S. Licinio Calvo* præfuerunt tunc tribuni plebis sine curulibus magistratus hanc Livius vocat *Anarchiam* similitudinem Magistratum: quam





